444
H39

444

H

39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

KW
444. H. 39
14.

# DISPUTATIO JURIDICA
*INAUGURALIS*
DE
# PACTIS ADJECTIS,

*QUAM,*
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*
D. LUCÆ VAN DE POLL,
J. U. D. & Codicis in Inclytâ Academiâ Rheno-Trajectinâ Professoris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,
*Publico Examini submittit*
PHILIPPUS JACOBUS de LACOMBE, Parisin. Gallus.
*Ad diem* 25. SEPTEMB. *horâ locoque solitis.*




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ Typographi, cIↄ Iↄc xcvi.




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

VIRO

*CLARISSIMO*

D.D. JOANNI

DE LACOMBE,

Parenti ſuo, omni pietate, amore, reverentiâ, colendo, proſequendo;

Hanc Diſſertationem Inauguralem,

*In æternum venerationis & obſervantiæ ſuæ monumentum;*

Sacram facit

AUCTOR.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

DISPUTATIO JURIDICA

*INAUGURALIS*

DE

# PACTIS ADJECTIS.



IN hacce disputatione nobilem de pactis adjectis materiam aggressurus, nonnulla de pacto in genere, seu conventione præmittere, consultum existimavi. Species enim quid sit intelligi facilius poterit, si prius de genere constet.

Pactum in genere sive conventio, aut pactio, quod unum idemque significat, definitur duorum vel plurium in idem, id est eandem rem, placitum & consensus; & ut ipsius Ulpiani verbis utar, *in idem placitum consensus. l.* 1. §. 2. *ff. de Pact.* cui non inutiliter adjicitur *de aliquo dando, faciendo, vel præstando*, ne per pactum intelligantur omnia de quibus homines inter se consentire possunt. Alibi idem Ulpianus ait, *pactum est duorum consensus atque conventio*, ut distinguatur a pollicitatione quæ est unius tantum, id est, *offerentis solius promissum. l.* 3. *ff. de Pollicitat.* quamvis per pollicitationem nonnunquam pactum intelligatur, ut in *l.* 43. §. 1. *ff. de Contr. empt.*

Sub dicta generali significatione conventionis continentur etiam omnes contractus tam innominati quam nominati. Conventionis enim nomen adeò generale est, ut nullus sit contractus, nulla obligatio, quæ non habeat in se conventionem: sive re, sive verbis fiat: nam & stipulatio quæ verbis fit nisi habeat consensum nulla est. Pacti igitur generalis significatio non minus late patet quam & conventionis ipsius & sub eâ significatione contractus quoque contineri omnes, ex ipsâ pacti definitione evidenter apparet. Omnis enim contractus si sit duorum pluriumve in idem consensus, exinde sequi debet contractum cum pacto unum idemque esse, aut tanquam pacti genus pactive speciem esse accipiendum; cum vero ex omnium assensu receptum sit, contractum nec idem



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

quod pactum, nec pacti genus esse, pacti igitur species remanet.

Conventiones sunt publicæ vel privatæ. *l.* 5. *ff. de Pact.* Publicæ dicuntur, quæ fiunt ex causâ publicâ: hujusmodi conventiones faciendi potestas ad eos solos pertinet, qui summæ rei præsunt, aut qui potestatem illam acceperunt ab his, quorum ea propria est. Privatas appellamus eas, quæ ex causâ, & de re cujusque privatâ ac familiari fiunt. Et hæc iterum privata conventio duas sub se species continet, scilicet pactum nudum, & eam speciem, quæ contractus dicitur. *l.* 8. *&* 15. *ff. de Præscript. verb.*

Hæc vox contractus, improprie & latissimo sensu accipitur pro omni facto, unde obligatio nascitur: sive sit delictum, sive donatio, sive pactum legitimum &c. *l.* 52. *de Re Judicat. l.* 20. *ff. de judic. l.* 17. *Cod. de Fid. instrum.* propriâ verò significatione contractus est conventio habens certum nomen, (ut contractus nominatus,) vel causam, (ut innominatus,) Obligationem ad agendum efficacem (in quo differt à nudo pacto,) suâ naturâ producens; & in eo distinguitur à pacto adjecto, pactoque legitimo, quæ suâ naturâ non obligant civiliter. *l.* 1. §. 3. *l.* 7. §. 1. *& seqq. de Pact.*

Contractus subdividitur in verum & quasi contractum. Verus constat ex vero & manifesto consensu; Quasi-contractus autem est negotium omne non turpe, unde ob æquitatem utilitatemque publicam, jure civili inter invitos etiam & ignorantes nascitur obligatio. Exempl. vid. in *l.* 32. *de Reb. credit.* Hac occasione observandum est, ut cognoscatur utrùm sit verus contractus an quasi, duo potissimum hic esse spectanda, conventionem & causam. Prior est facti, nimirum consensus duorum inter quos convenit de re aliquâ dandâ vel faciendâ. Posterior verò est juris. Est enim vis conventioni, vel cuivis actui à jure tributa, obligationem & actionem pariens; unde dicitur causa, quia est causa obligationis & actionis. Quando igitur hæc duo concurrunt, conventio & causa, tunc est verus contractus. Ubi autem conventio est sine causâ, dicitur pactum nudum. Denique ubi est causa sine conventione, si delictum absit, appellatur quasi contractus: habet aliquid ex contractu quatenus habet causam & parit obligationem, sed non est verus contractus, quia non habet conventionem sine quâ verus contractus esse nequit. Cæterum duplici modo, *Pacta* jure civili dicuntur *nuda*. 1. Quando per nuda pacta intelliguntur contractus quidem perfecti sive nominati sive innominati, quatenus opponuntur contractibus traditione consummatis,

tali

tali ſenſu Imperatores ajunt, *traditionibus & uſucapionibus*, *dominia rerum*, *non nudis pactis transferuntur. l.* 20. *Cod. de Pact.* 2. *Pacta* dicuntur *nuda*, quando opponuntur conventionibus illis quæ in formam contractus tranſeunt, de quibus hic agendum.

Pactum hoc nudum definitur Conventio in nudis placiti finibus conſiſtens & certo nomine ac causâ ad agendum efficaci, deſtituta. Conſiſtit in ſolâ conventione, nihilque præter nudam conventionem habet. *l.* 7. *princ. & §.* 4. *ff. de Pactis l.* 15. *Cod. Fam. erciſc. & l.* 27. *Cod. Locat. cond.* imo etiamſi tale pactum contractui adjectum ſit, vel legitimatum, nihilominus nudum adhuc remanet, Ulpianus enim cum in *d. l.* 7. præmiſiſſet *nudam pactionem non parere actionem*, ſubjicit, *actionem tamen formare, ſi nuda pactio contractui bonæ fidei adjecta ſit.* Et hanc pactionem adhuc *nudam* vocat, quamvis contractui inſitam. Idem juris eſt in pactis legitimis quæ manent nuda, quamvis à lege confirmata. Nam effectus diverſus, diverſitatem ſpecierum non inducit, quamobrem Paulus in *l.* 30. *ff. de Uſuris*, ait, *etiam ex nudo pacto debentur civitatibus uſuræ pecuniarum creditarum.* Nudum nihilominus pactum appellans, licet exinde actio ad petendas uſuras detur. Hinc apparet eos qui pacta illa ſive adjecta ſive legitima, pacta *veſtita* vocant per oppoſitionem ad pacta ſimpliciter *nuda*, abuti lege 10. *Cod. de Pactis & l. ult. de Rerum permut.*

Pactum nudum ut ex d. definitione vidimus eam vim obligandi jure civili Romanorum non habet, ut ex eo actio detur. *Ex nudo pacto*, inquit Paulus, *inter cives Romanos actio non naſcitur. Lib.* 2. *Sentent. tit.* 14. & Imperatores in *d. l.* 27. *Cod. Locat. cond. ſi conventio placiti fine ſtetit*, *ex nudo pacto perſpicis actionem jure noſtro non naſci.* Adeo vulgata fuit hæc juris regula, ut & id in proverbium apud Romanos abiiſſe, *ex pacto actionem non naſci*, doceant nos Imperatores in *l.* 1. *Cod. de Pact. convent. ſup. dot.* & in *l.* 10. *Cod. de Pact.* Sic ibi loquitur Imp. Alexander, *Legem quam dixiſti*, *cum dotem pro alumnâ dares ſervari oportet*, *nec obeſſe tibi poterit*, *quod dici ſolet*, *ex pacto actionem non naſci: tunc enim hoc jure utimur*, *cum pactum nudum eſt.* Jurisconſulti enim aliique legiſlatores Romani inepte quidem legitimas conventiones ab aliis diſtinguerent, certiſque pactis vim producendæ actionis ſpeciali jure tribuerent, nec non & Prætor ex pacto pignoris & conſtitutæ pecuniæ ſingulari edicto actionem promitteret, ſi ex omnibus pactis promiſcue oriretur actio. Nihil igitur certius eſt, quam pacta nuda, id eſt, promiſſiones ſimplicibus verbis, aut inter abſentes contractas, nullam in foro civili actionem



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

producere. Noluerunt juris Romani conditores, cives suos ex qualibet, sæpe minus deliberatâ, & simplici ac vagâ conventione tam efficaciter obligari, ut inde actio contra promittentem daretur. *l.* 21. *Cod. de Pact. l.* 3. *Cod. de Rer. permutat.* Verum quædam relinquere hominum fidei & probitati, honestius atque ad excitandum virtutis studium conducibilius esse, quam omnia vinculis legum & necessitate adstringere, existimantes, maluerunt ut solâ paciscentium fide staretur. Multum enim putaverunt esse è re publicâ, ne perpetuis tribunalia litibus obstreperent. Innumeras autem lites ex tam vagis, promiscuis adeoque simplicibus promissis oriundas fuisse, quis non videt? Deinde præterquam quod nudè promittens, non serio rationes cur promitteret perpendisse præsumitur, fortasse tantâ sapientiâ præditi illi legislatores, minimum arbitrio judicis permittendum esse crediderunt, nec immeritò metuere, ne judicantibus obtentu cujuscunque pacti nimia occasio esset ac potestas, de civium bonis pro lubitu statuendi.

His similibusvè ducti rationibus Romani, (quemadmodum in modo testandi contrahendi nubendi emancipandi similibusque, omnia certis quondam arctisque circumscripsere formulis) Sic etiam ex pacto nudo, etiamsi maximè serium esset ac deliberatum, actionem dari non satis cautum crediderunt. Si enim ullum pactum est serium, illud sanè dicendum est de pacto quod super acquirendâ vel omittendâ hereditate initur: ex tali tamen pacto non nascitur actio. *l.* 45. *ff. de Pact. l. ult. ff. de Suis & legit. hered. l.* 15. *Cod. de Pact.* ad hoc igitur Romani, sc. ad actionem producendam, contractuum & imprimis stipulationum formam præscripsere quâ facile uti poterant, qui alteri se volebant obligare: nam Jus Civile nullam aliam obligationem quæ promissione constet, præter stipulationem agnoscit. Ideoque omnibus fere pactis stipulatio subjici debet, ut ait Paulus 2. *Sentent.* 22. §. *ult.* Hinc est quod aliquando illud vocetur indebitum, quod pacto non adpositâ stipulatione promissum est. *l.* 28. *Cod. de Pact.*

Cæterum huic sententiæ quod ex nudo pacto actio non nascatur, opponi solet, quod dicitur in *l.* 1. *ff. de Pact. Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* & in *l.* 1. *de Const. pec. grave est fidem fallere.* Verum ibi tantum in genere dicitur pacta esse servanda, quo autem modo serventur, non tradit iis in locis Jurisconsultus, utrum nempe actio contra non servantes competat, an tantum exceptio ad id accommodetur. Res ergo ibi sola traditur, non & modus

rei,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

rei, sive remedium, quod aliunde repetendum est. Nec plus difficultatis occurrit ex dicto JCtorum in *l. 10. ff. de O. et A. junct. leg. 16. §. 4. de Fidejussor. Naturales obligationes non eo solo æstimantur, si actio aliqua illarum nomine competit, verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit.* Si exinde colligatur naturales obligationes producere actionem, ex ipsis legum verbis apparet hoc ad quasdam, non verò ad omnes species, ad exceptionem à regulâ, non ad regulam ipsam spectare, adeoque *dd. ll.* accipiendæ sunt de pactis legitimis vel in continenti adjectis, quæ pacta à regulâ generali excipiuntur. JCti enim ibi non dicunt actionem dari vel nasci ex obligationibus naturalibus, sed earum nomine, id est, occasione nasci vel ex lege quâ pactum confirmatum est, vel ex contractu cui pactum fuit adjectum. Opponitur etiam *l. 6. Cod. de Transactionibus*, ex quâ ducitur tale argumentum. Si id quod transactionis causâ, etsi pacto tantum & citrà stipulationem promissum est, nihilominus peti possit, & actione præscriptis verbis, ergo ex pacto nascitur actio, &c. Resp. Verius videtur in h. textu agi de tali conventione quæ nudi placiti fines egressa est, quippe cui accesserit & alia causa obligandi præter conventionem & quæ constituit contractum innominatum. Nam pactum quidem transactionis causâ interpositum, intra placiti terminos si consistat, nullam ex eo oriri actionem docent Impp. Dioclet. & Maximian. *l. 28. Cod. de Transact. l. 21. Cod. de Pact.*

Eadem responsio convenit Legi 15. *ff. de Præscript. verb.* quâ etiam dissentientes abutuntur: in hâc enim lege non agi de nudo pacto, sed de promissione quæ in contractum innominatum transivit per traditionem factumvè ab alterâ parte præstitum, manifeste probant ipsa JCti verba. *Conventio ista* scil. de quâ in *d. l.* agitur, *non est nuda, sed habet in se negotium aliquod* &c. Per negotium autem quid aliud intelligendum est quam causa aliqua quæ conventioni subest, ita ut ex eâ nascatur civilis obligatio? Is enim qui ibi pactus est ut certum aliquid daretur, si fugitivum indicasset, apprehensusque hic esset, is, inquam, præmium illud petere non ante poterit, quam indicio facto, & servo apprehenso, id quod promisit impleverit: & ita factum aliquod interveniat, quo pactum in contractum innominatum transeat. Etenim talis ponenda est regula, sc. omne pactum ab alterâ parte consummatum, semper in obligationem innominatam transire & actioni præscriptis verbis facere locum. Ad legem. 3. §. 4. *ff. de Condict. caus. dat. caus. non sec.* eodem fere modo responderi potest. Nempe ibi etiam agi de contractu innominato.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

Sensus legis hic est. Si nihil tibi dedi ut manumitteres, placuit tamen ut darem, ultrò tibi competit condictio, defuncto quoque eo. In hâc enim specie quamvis nihil datum fuerit; casu fortuito tamen impeditam fuisse dationem sufficit, quo casu habetur pro impletâ, secundum hanc Ulpiani regulam, *In jure civili receptum est, quoties per eum cujus interest, conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset. l. 161. de R. J.*

Quemadmodum ex nudo pacto nullam actionem dari certissimum est, ex eodem pacto naturalem nasci obligationem ita evincunt infiniti textus, ut nihil possit esse manifestius. Quamvis hoc etiam à nonnullis, sed sine ratione, in dubium revocetur. Nam tacente licet jure civili, sufficeret nobis ipsum rectæ rationis dictamen, quod facile evincit, nisi promissis stetur, neque mutua mortalium officia, adeoque nec societatem civilem stare posse. Nec rationem æquitatis pati, ut quis alterius fidem secutus, frustretur ac decipiatur. Romanorum igitur ut & omnium mortalium fidei convenientissimum fuit pacta servari. Quid enim, inquit JCtus, tam congruum est fidei humanæ, quid naturali æquitati consentaneum magis, quam stare conventis, placita fidemque servare? Jure autem naturali tenentur omnes & alibi Ulpianus, *grave est fidem fallere. l. 1. de Const. pec.* & in *l. 5. §. 2. ff. de Solut. Quædam ex pacto naturaliter debebantur.* Tales enim res per errorem solutæ nullo remedio civili repeti possunt, quo videtur etiam respexisse Paulus his verbis, *is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus*, Hoc est, paciscentis. *l. 84. §. 1. de R. J.* in quâ agitur de condictione indebiti quæ cessat si quid sit ex pacto solutum, propter obligationem naturalem, quæ conscientias hominum devincit, cum sit vinculum naturæ & æquitatis. *l. 95. §. 4. de Solut.* Id omne confirmat hoc Papiniani dictum scil. naturalem obligationem nudo pacto dissolvi, & ex eo nasci: cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidque dissolvi quo colligatum est. *l. 35. de R. J.* Certum igitur remanet & ex dictis concludemus, ex nudo pacto obligationem naturalem nasci, fidemque pacto datam esse servandam, non actione ad petendum, sed exceptione ad retinendum.

Verissima tamen illa regula, quod ex nudo pacto non nascatur actio, quibusdam jure civili exceptionibus obnoxia est. Tribus enim casibus pactum nudum ad agendum prodest. 1. Si pactum nudum stipulatione vel traditione, aliove pacto ab unâ parte præstito confirmetur. Si stipu-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

latione, actio ex ſtipulatu. *l.* 10. §. 1. *de Pact. l.* 6. *Cod. de Tranſact.* Si traditione aliove facto, actio ex contractu innominato ſive præſcriptis verbis competit. *d. l.* 6. *l.* 15. *ff. de Præſcr. verb.* 2. Si pactum nudum manente ſimplici formâ conventionis, à lege, Senatuſconſulto vel conſtitutione Principis ſpeciatim confirmetur, fiatque legitimum. *l.* 6. *ff. de pact.* quale eſt pactum donationis. *l.* 35. *princ.* & §. 5. *Cod. de Donat.* item pactum quo dos conſtituitur. *l.* 6. *Cod. de Dot. promiſſ.* hæc enim pacta vi legis actionem præſtant, videlicet condictionem ex lege. *d. l.* 6. *ff. de Pact. l. unic. ff. de Condict. ex lege.* 3. Si pactum nudum bonæ fidei contractibus adjiciatur in continenti. *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* vel ex intervallo, ſi ſit pactum detrahens. *l.* 72. *ff. de Contr. empt.* Tale pactum contractui tanquam pars ejus, ineſſe creditur, unde etiam hujuſmodi pacti nomine competit actio ex Principali contractu cui adjectum eſt, deſcendens. *l.* 79. *de Cont. empt. l.* 6. §. 1. *de Act. empt.* De hac tertiâ ſpecie nimirum de pactis adjectis, utrum ſemper & in omni caſu ex iis civiliter agi poſſit, an vero nonnunquam proſint tantum ad exceptionem, an omnibus generaliter adjecta contractibus, annè quibuſdam tantum appoſita illos effectus producant, ex profeſſo nobis agendum propoſuimus, & ab ipſâ definitione incipiendum nunc eſt.

Pacta adjecta ſunt nudæ conventiones alteri negotio adjectæ quæ licet non pariant novam actionem, formant tamen actionem ex negotio cui adjiciuntur natam, & quaſi partem ac membrum conſtituunt. Sunt nudæ conventiones, in nudis enim placiti finibus, quamvis contractui adjecta, ſemper remanent, ut vidimus ſup. pag. 5. princ. Formare actionem autem, eſt, jam natæ actioni ſeu ex principali contractu deſcendenti modum ita ponere, ut in plus vel minus detur, propter pactum adjectum, quam daretur, ſi pactum adjectum non fuiſſet. E. C. venditor emptori evictionis nomine cavere tenetur non ſatisdando, id eſt, datis fidejuſſoribus, verum nudâ repromiſſione, quæ ad id generaliter ſufficit, auctore Paulo in *l.* 56. *ff. de Evictionib.* Pacto tamen emptioni in continenti adjecto ſi convenerit, ut venditor dato fidejuſſore ob evictionem ſatisdet, hujuſmodi pactum format contractum, datque hanc emptioni legem ut ſatisdetur, & ex eo fit ut ex empto, ad id etiam quod pacto comprehenſum eſt extendatur. Ita ut emptor poſſit venditorem actione empti compellere, ut nomine Evictionis det fidejuſſorem. *l.* 4. *l.* 37. *de Evictionib.* Similiter aliquis vendidit fundum, adjecto hoc pacto, ut liceat ei pretium aliquando offerenti, fundum recipere. Datur eo nomine venditori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

ditori actio ex vendito contrà emptorem ad fundum recuperandum. *l.* 2. *Cod. de Pact. int. emptor.* Et sic actio venditi quæ suâ natura non competit ad retrovendendum, vi pacti adjecti tamen ita formatur eoque extenditur, ut ad retrovendendum detur.

De pactis adjectis ita loquitur Ulpianus in *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact. Nuda pactio interdum format ipsam actionem, ut in bonæ fidei judiciis. Solemus enim dicere pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis.* Pacta autem judiciis inesse nihil aliud significat quam pacta illa quæ simul placuerunt bonæ fidei negotium contrahentibus, fieri partem quandam istius negotii, eoque ipsa ità contineri, ut actionem ex ipso negotio competentem forment, reforment interpollentque & valeant ipso jure ad actionem ex eo negotio seu contractu & informandam & impediendam. Nam ut priori cui accedunt contractui, aliquid attribuunt novi juris, sic & ejus actioni nonnihil novæ adjungunt formæ. Pactum autem sive formare actionem, sive contractui modum ponere dicamus, id unum idemque est.

Quolibet tamen tempore, pacta adjecta hos effectus non producunt, verum ut his locus esse possit, requiritur ut pacta adjiciantur *in continenti*, sive in ipso partium conflictu, immediate contractibus accedant. Hæc locutio, *in continenti*, JCtis nostris satis est familiaris. Sic in *l.* 3. §. 9. *ff. de Vi & vi armatâ. Eum qui cum armis venit possumus armis repellere; sed hoc confestim*, &, in eodem textu pergit Ulpianus, *etsi dejectus quis fuerit, eundem dejicere potest, non ex intervallo, sed ex continenti.* Quo respicit etiam Julianus, his verbis, *Qui possessionem vi ereptam, vi in ipso congressu reciperat, in pristinam causam reverti potius quam vi possidere intelligendus est. l.* 17. *ff. eodem.* Per continens contractûs, hoc in loco intelligere debemus, id quod contractum continet, ut sit totum illud tempus, à quo primum de re agi cœpit inter contrahentes, donec de re totâ inter eos convenerit. Quapropter *in continenti* contractûs factum esse aliquid, idem est quod Imperatores dicunt factum esse *tempore contractus* scilicet tempore quo res geritur, sive in ipso negotio gerendo. *l.* 8. *Cod. de Pact. int. empt.* Quod & ipse Ulpianus definit fieri *in ingressu contractus. d. l.* 7. §. 5. *de Pact.* in ingressu, id est, in initio. Initium autem cujusque rei est id per quod in eam rem ingredimur: unde *ingressum orationis* legimus *pro initio.* Eâdem ratione quâ *aditus dicendi* apud Ciceronem. Et idem quod in hâc lege. 7. exprimitur per *in continenti* Imperator Gordianus

*ab*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

*ab initio esse* dicit. *l.* 5. *Cod. de pact. int. empt.* Unde quæcunque ante tractantur & agitantur inter contrahentes, quibus efficitur ut res tandem conveniat de quâ agi cœptum est, quantumcunque tempus intercesserit per quod tractata hæc sint, ea contractus initium recte dicuntur.

Ex his concludendum est ea pacta fieri in continenti emptionis, quæ in exordio seu initio emptionis, *l.* 24. *in fin. ff. Deposit. l.* 5. *Cod. de Pact. int. empt.* vel tempore contractus, *l.* 8. *Cod. eodem.* id est, in ipso negotio emptionis gerendo fiunt. *l.* 31. *ff. de Pact.* Secundò ea in continenti dicuntur fieri, quæ perfecto negotio immediate apponuntur. *d. l.* 7. *ff. de Pact.* in voce *subsecuta. & l.* 3. *Cod. de Ædilit. actionib.* Ubi Imperatores non tantum antecedens sive in ingressu & initio, aut tempore contractus, sed & pactum in continenti subsecutum, volunt inesse contractui, hoc autem ita intelligi debet si statim post conclusionem negotii, pactum adjiciatur: ita ut intervallum temporis non admodum longum intercedat. In jure enim nostro non semel *in continenti* accipiendum est cum aliquo spatio seu laxamento temporis, ut docet Paulus *l.* 1. §. 8. *ff. ad L. falcidiam* ut prætermittamus *l.* 4. §. 4. *ff. Quod cum eo qui in ali. potest.* Ubi non datur medium tempus inter in continenti aliquid facere, & post multos annos. Satis vulgare nobis unum, super hoc, occurrit exemplum in lege Julia de adulteriis coercendis, quâ lege filiam in adulterio deprehensam, unà cum adultero occidere, patri permissum est; sed *in continenti*, id est, *prope uno ictu & uno impetu, utrumque occidere, æquali irâ adversus utrumque sumptâ. Si autem pater non affectavit & dum occidit adulterum, profugit filia, interpositisque horis adprehensa sit à patre eam persequente, in continenti occidisse videbitur. l.* 23. §. *ult. ff. ad. l. Jul. de adult.*

Quod itaque diximus in contractu aut initio contractûs fieri, non est ita præcise accipiendum, ut excludatur id, quod nullo actu interveniente subsequitur: nam ut à simili exemplum sumamus, tutoris authoritas quæ statim perfecto negotio interponitur, in ipso negotio interposita esse dicitur, ex eo quod quasi calente adhuc negotio sit subsecuta: nec obstat *d. l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* in verbis, *ea pacta insunt, id est, quæ in ingressu contractûs facta sunt*, cum particula, *id est*, ibi non definiat, sed declaret tantum, nec aliud ibi significet quam *veluti.* Simile exemplum videre est in *l.* 3. §. 12. *ff. de Acqu. possess.* Ubi JCtus ait, quasdam res à nobis ignorantibus possideri, *id est, quas servi nostri pe-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

*culiariter paraverunt*, hanc enim locutionem, *id est*, eundem, hic, habere sensum quem in l. 7. diximus, nemo non videt, ut multa alia loca ad hujus sententiæ probationem idonea, silentio prætermittam.

Ex dictis perspicuum est, ea fieri ex intervallo, quæ re jam contractâ facta sunt quandocunque post subsecuta fuerint, semper enim hæ voces *in continenti* & *ex intervallo* sibi opponuntur. *l.* 3. §. 9. *ff. de Vi & vi armat.* unde ea quæ fiunt ex intervallo dicuntur fieri *posteà*. Quid enim aliud est *posteà*, quam negotio jam contracto, omnibusque partibus absoluto? Pactis igitur ex intervallo adjectis effectus formandæ actionis, qui tribuitur in continenti adjectis, recte negatur. Pacta enim ex intervallo contractui adjecta, ea contractui inesse & legem dare dici non possunt: cum contractus jam perfectus ab omni parte, non possit aliam a pacto accipere formam; cum ea quæ naturâ suâ vim nullam habent, nequeant post longum adeo tempus, ad contractum revocari, & pars ejus censeri: nec obstant quæ jam probavimus ex. *l.* 3. *Cod. de Ædilit. act.* scil. pacta quæ statim negotio perfecto subjiciuntur, inesse contractui, ejusque veluti partem censeri. Omnem de eo dubitationem tollit Ulpianus. *in d. l.* 7. *de Pact.* his verbis, *pacta conventa si quidem ex continenti subsecuta sunt, etiam à parte actoris insunt, ex intervallo non inerunt, nec valebunt si agat*: Quod tamen iterum aliquo modo limitandum est; & distinguendum inter pacta quæ detrahentia, & ea quæ adjicientia dicuntur. De his ita scribit Papinianus. *Pacta conventa quæ postea*, id est, ex intervallo post contractum perfectum, *facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur: quæ vero adjiciunt, credimus non inesse. Quod locum habet in his, quæ adminicula sunt emptionis. Veluti ne cautio duplæ præstetur, sed quo casu agente emptore non valet pactum, idem vires habebit jure exceptionis, agente venditore: an idem dici possit aucto postea vel diminuto pretio, non immerito quæsitum est: quoniam emptionis substantia consistit ex pretio. Paulus notat: si omnibus integris manentibus, de augendo vel diminuendo pretio rursum convenit, recessum à priore contractu, & nova emptio intercessisse videtur. l.* 72. *ff. de Cont. empt.* Nec alienum à proposito nostro erit, verba Ulpiani super hanc sententiam, referre, quæ extant in *d. l.* 7. §. 6. *de Pact.* ut eo facilius nobis constare possit, quid de eo sit sentiendum. *Adeo autem bonæ fidei judicis exceptiones posteà factæ, quæ ex eodem sunt contractu, insunt, ut constet in emptione cæterisque, bonæ fidei judiciis re nondum secutâ posse abire*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

*abiri ab emptione.* Cum enim emptio consensu contrahatur, ita & contrario consensu dissolvitur. *Si igitur in totum potest, cur non & pars ejus pactione mutari potest?* Veluti ut pars tantum rei venditæ aut locatæ, vendita vel locata maneat. Aut pretium mercesque augeatur vel minuatur. *Et hæc ita Pomponius libro sexto ad Edictum scribit. Quod cum est, etiam ex parte agentis, pactio locum habet, ut & ad actionem proficiat, nondum re secuta, eadem ratione, nam si potest tota res tolli, cur non & reformari? ut quodammodo quasi renovatus contractus videatur quod non insubtiliter dici potest.* Ex his legibus apparet pacta detrahentia ea dici, quæ aliquid mutant ex substantiâ prioris contractûs, adjicientia verò quæ intactâ contractûs substantiâ aliquid tantum de naturâ contractus mutant. Substantiam contractûs dicimus id quod contractum facit talem, quo detracto contractus subvertitur, mutato vero mutatur. E G. in emptione venditione tria sunt substantialia requisita, *l.* 2. §. 1. *l.* 8. *&* 72. *de Cont. empt.* consensus, merx & pretium, quorum unum si tollas, vitiabitur & impedietur emptio. Natura verò emptionis est ea forma quæ contractui est communi consensu data, sive eæ contractûs qualitates quæ tacentibus partibus suâ sponte & regulariter ex eo oriuntur. E. G. natura emptionis venditionis est ut simpliciter de evictione caveatur, ut venditor non teneatur præstare nisi dolum, latam & levem culpam. *l.* 5. §. 2. *Commodat. l.* 23. *de R. J.* Ut periculum rei venditæ nondum traditæ ad emptorem pertineat non ad venditorem. *l.* 7. 8. *&* 11. *de Peric. & comm. rei vend.*

Atquè ita refellitur sententia eorum qui malè hæc duo, naturam & substantiam contractûs, confundunt. Dicuntque Papinianum in *d. l.* 72. *de Cont. empt.* vocare substantiam contractûs, id, quod Ulpianus Papiniani sententiam citans, contractûs naturam nominaverat. Sed reverà hæc duo multum inter se differunt. Et non ea fuit mens JCti, ut hæc duo confunderentur, quod ex dd. textibus quorum singula verba consultô attulimus constare potest. Nam Ulpianus quando in *d. l.* 7. §. 5. *de Pact.* sententiam Papiniani refert, loquitur de pactis quæ sunt extrà naturam contractûs: Quæ salvâ contractûs substantiâ, circâ naturalia ejus tantum versantur. Papinianus autem ubi in *d. l.* 27. de contractûs substantiâ facit mentionem, tunc agit de pactis detrahentibus quæ substantialia contractûs veluti pretium attingunt, per substantiam intelligens id sine quo negotium consistere non potest. Hinc extrà dubium omne ponendum est, JCtos naturam & substantiam contractûs, pro



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

rebus inter se planè diversis habuisse. Illorum nunc pactorum, si ex intervallo adjiciantur, effectus quinam sint videamus. Pacta quæ fiunt circa substantiam contractûs seu detrahentia (ita dicta quia mutant, id est, vel augent vel detrahunt quid ex contractûs prioris substantialibus, ita ut videatur fieri quasi novus contractus) si bonæ fidei contractibus adjecta sint, iis insunt, formantque actionem. *d. l.* 7. §. 6. Finge domus fuit centum aureis vendita, & post venditionem, re integrâ, hoc est, domo nec traditâ nec pretio soluto, adjicitur pactum, quo convenit ut octaginta aureis vendita esset; hoc pactum contractui inest & actioni ex eo competenti nonnihil novæ formæ adjungit. Sed quomodo pactum illud contractui inest, si novum contractum inducat? Verum id non insubtiliter dici, inquit Ulpianus, reformari & repeti contractum potius quam renovari, ut pretium de quo posteà convenit eo tempore conventum videatur, quo venditio primum contracta est. Ut satis indicat JCtus per has improprietatis notas, *quodammodo* & *quasi d. l.* 7. §. 6. Ita ut ea omnia quæ in contractu specialiter placuerunt, per pactum detrahens non videantur esse mutata, quia prior contractus adhuc subsistit, sed per pactum reformatus.

Quantum attinet ad pacta quæ sunt extrà naturam contractûs, hæc si contractibus bonæ fidei ex intervallo adjiciantur, iis non insunt, sed prosunt tantum Reo ad exceptionem. *dd. ll.* à Papiniano dicuntur *adjicientia* cum non mutent contractus substantiam, sed salvâ eâ abesse vel adesse possint ita ut contractus per se ac sine iis consistat. Veluti ne præstetur cautio duplæ, quâ venditor duplum se soluturum promittit, si res sit aliena. *l.* 56. *ff. de Evictionib.* Vel si agatur de fidejussore dando, adhibendâve scripturâ. Si forte convenerit ut in contractu dolum tantum recipiente, præstetur periculum, præstetur culpa; aut dolus tantum in contractu qui & culpam recipit. Similiter si finitâ tutelâ, tutorem inter & pupillum convenerit, ut tutor ex causa pecuniæ pupillaris, quam cessaret reddere, majores, quam statutæ sunt, usuras præstaret, pacta hujusmodi substantiam contractus non attingentes, ex intervallo adjecta, non ad agendum omninò, sed ad exceptionem tantum proficiunt. *d. l.* 72. Pactorum Judiciis stricti juris ex *intervallo* adjectorum effectus priusquam exponamus, præmittendum est utrum illis in continenti adjecta insint, an actioni exceptionive locum præbeant.

Neque enim omnium contractuum illud generaliter commune est ut pacta quantumvis in continenti adjecta, iis insint, formentque actionem verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

rum illud eſt contractuum bonæ fidei proprium, non tantum eorum qui ſolo conſenſu conſtant, ut emptio locatio, &c. Verum etiam eorum qui conſenſu ſolo non conſiſtentes, re perficiuntur: ut ſunt depoſitum commodatum. Si E. G. convenerit ut in depoſito culpa quoque præſtetur, ut in commodato aut pignore dolus tantum, vel præter dolum & culpam, caſus etiam fortuitus. *l.* 6. *Cod. de Pign. act. l.* 5. §. 2. *&* 10. *ff. Commodati l.* 24. §. 2. *&* 10. *ff. eodem l.* 24. §. 2. *& ſequ. Depoſiti.* Ex Ulpiani Reſponſo in *d. l.* 7. *de Pact. Pacta conventa inſunt bonæ fidei judiciis*, Doctores nonnulli concludunt Pacta quæ adjiciuntur judiciis ſtricti juris, nunquam ad agendum prodeſſe. Alii, quaſi bonæ fidei judicia tantum Exempli gratiâ ab Ulpiano referantur, ſtricta judicia minime excludi debere contendunt; cum de certis rebus vulgò aliquid pronunciari ſoleat, quod tamen aliis etiam de rebus accipi opportet. *l.* 1. §. 25. *ff. de Vi & vi armatâ.* Illi reſpondent, non magis in *d. l.* 7. Exempli loco bonæ fidei judicia referri, quam in *l.* 32. §. 2. *de Uſuris. In bonæ fidei contractibus uſuræ ex morâ debentur*; contrarium enim obtinet in contractibus ſtricti juris. *l.* 3. *Cod. de Uſur.* Et ſupervacuum ineptumque eſſe exiſtimant; Nominatim bonæ fidei contractibus hanc tribui proprietatem, quod pacta adjecta illis inſint formentquè actionem, ſi illud eſſet omnium contractuum commune, pactaque adjecta omnibus quibus ſubjiciuntur contractibus ineſſent. Ex tam diverſis ſententiis quid ſit nobis ſtatuendum videamus: & Probabiliorem ſane exiſtimamus ſententiam eorum qui diſtinguunt inter contractus ſtricti juris qui rei traditione perficiuntur, ut mutuum, & eos contractus qui verbis fiunt, ut ſtipulatio: Pacta prioribus adjecta ut mutuo, ſi E. C. centum, tibi mutuo dederim hâc lege in dando appoſitâ ut præter centum reddantur alia quinque, hæc ſive ex intervallo, ſive in continenti adjecta, ad agendum non proficiunt; Et per conſequens nullam formant actionem; Sed tantum exceptionem producunt: ratio in promptu eſt, negotia enim quæ re perficiuntur ideò pacta adjecta non recipiunt, quia pacto fieri non poteſt ut quis reddere plus teneatur: quam traditum acceptumve eſt. Sic JCtus in *l.* 17. *princ. de Pactis*, ait, *ſi tibi decem dem, & paciſcar, ut viginti mihi debeantur, non naſcitur obligatio ultrà decem, re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit:* Quod & Proculus confirmat in *l.* 11. §. 1. *ff. de Reb. credit.* His, addi poteſt, quod pacta adjecta plerumque ſint de dolo, culpâ, caſibuſque fortuitis; Quæ præſtationes doli aut culpæ in mutuo, locum minime habent. Nec



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

contemni debet alia ratio, scilicet, quod his contractibus de quibus agimus, ille effectus pacti adjecti nullo juris loco tribuatur. Quod autem quibusdam casibus usuræ pecuniæ creditæ, veluti in mutuo à civitatibus dato. *l.* 30. *de Usuris* aut in nautico fœnere. *l.* 5. *&* 7. *de Naut. fœn.* vel accessiones frumenti vel hordei mutuo dati aliarumvè rerum fungibilium præter pecuniam, *l.* 12. *Cod. de Usuris*; ex nudo pacto debeantur & peti possint ; id non fit ex eo quod hæc pacta in continenti sint adjecta, & proinde contractui mutui insint ; sed quia nominatim speciatimque jure civili confirmata, pacta legitima efficiuntur, ita ut licet ex intervallo apposita vim eandem obtineant.

Dissentientes tamen, pacta mutuo adjecta actionem formare, quibusdam legibus malè intellectis probare conantur : ac 1. argumentum sumunt ex *l.* 10. *de Reb. credit*, *Quod si ab initio cum deponerem uti tibi, si voles, permisero, creditam non esse antequam mota sit : quoniam debitu iri non est certum.* Vulgaris responsio est in *h. l.* non agi de pacto quod in continenti adjectum est mutuo, verùm de pacto mutui quod adjectum est deposito adeoquè contractui bonæ fidei. Scilicet in casu *d. l.* pecuniam depositam esse sub lege mutui, ut liceat depositario eâ uti si velit tanquam pecuniâ creditâ, vel si non utatur, ut deposita remaneat : sed fortasse verius est in *d. l.* 10. non agi de pacto adjecto, cum ibi pactum nullam formet actionem : non format actionem depositi sed eam penitus tollit producitque condictionem certi, est igitur potius negotium ambiguum quod ab eventu vel depositum est, vel mutuum. Non plus difficultatis occurrit ex dicto Gaii in *l.* 48. *ff. de Pactis*, *in traditionibus rerum, quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est:* ergo concludendum esset, quodcunque pactum mutuo adjectum valere, verum quid aliud significat *valere*, quam *non esse ipso jure nullum* & aliquem saltem producere effectum, actionemnè an exceptionem, nihil interest. Manifestum igitur est quodcunque in traditionibus rerum pactum sit, id valere quantum ad beneficium exceptionis, sed non producere actionem : JCtus enim nimis hic generaliter loquitur, alioquin regula *d. l.* 48. videretur esse restringenda ad dationes informes, & facta, quibus pacta adjecta dederunt formam : sive ad pacta, alias nuda, sed quæ irrevocabili traditione munita similivè facto confirmata, inciderunt in contractum innominatum, mihi enim rem meam in alium transferenti permissum est, ut rem illam accipienti, legem quam velim dicam, eamque diligenter custodiri est æquissimum. Non magis nostræ sententiæ adversatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

ſatur Lex 6. *ff. de Eo quod cert. loc. ſi mutua pecunia ſic data fuerit, ut certo loco reddatur, competit actio arbitraria.* Reſpondetur communiter, textus hic non de pacto adjecto loquitur, ſed de conditione ſeu de adjectione loci modove ſolvendi contractui mutui inſerto. Verum etiamſi concedamus in *d. l.* eſſe pactum de ſolutione certo loco faciendâ non inde deterior erit conditio noſtra. Nam pacta quæ liberationis causâ interpoſita ſunt, jure prætorio exceptionem tantum pariunt *l.* 7. §. 4. *& ſequent. de Pact.* pactum autem de ſolutione faciendâ certo loco eſt liberatorium, & ideò ad excipiendum reo, non verò actori ad agendum prodeſt, niſi illa conditio ſit etiam contractui adjecta, cum tali pacto reſtringatur potius actio quam extendatur. Quippe quod id efficiat, ut debitor non poſſit alibi conveniri. Quæ tamen reſponſio non videtur plane ſufficiens, ex eo enim pacto de quo in *d. l. 6.* agitur, non tantum reus exceptionem habet, verum etiam actor poteſt actione arbitrariâ uti, ad id quod intereſt ſuâ, ſolutionem certo loco non eſſe factam. *l.* 8. *ff. Eod.* Dicamus igitur potius pactum hoc naturâ ſua non valiturum fuiſſe, niſi à Prætore fuiſſet confirmatum ſpeciali eo edicto, quo fecit ut contractus ſtricti juris eatenus indueret naturam contractuum bonæ fidei adeoque ibi eſt exceptio à regulâ, quæ confirmat regulam in aliis caſibus non exceptis. Supereſt adhuc *l.* 3. *ff. de Reb. credit.* quâ illi qui diſſentiunt, ſuam ſententiam multum confirmari exiſtimant. Hæc ſunt verba legis; *cum quid mutuum dederimus etſi non cavimus, ut æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem quæ ex eodem genere ſit, reddere*: inde colligitur, quod ſi cautum hoc fuiſſet, debuiſſet tale pactum mutuo adjectum, ipſi ineſſe contractui, prodeſſetque ad actionem: at illud inepte, quomodo enim tali cautione mutuo aliquid addi poſſet, cum ea ipſius mutui naturæ inſit, idque citrà ullam conventionem in mutuo agi ſemper intelligatur, ut res, eâdem quâ data eſt bonitate reddatur.

Stipulationis vero diverſiſſima cauſa eſt. Cum enim verbis perficiatur ſummamque cum nudo pacto ſimilitudinem habeat, ita facilius admiſſum fuit, ut pacta ſtipulationibus in continenti adjecta, illis ineſſe intelligerentur. Non obſtante *l.* 99. *de V. O. Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis exprimitur, omiſſum intelligendum eſt*: ex quo textu nonnulli hocce ducunt argumentum. Pactum ſtipulationi non poteſt apponi niſi poſt reſponſionem, cum id quod ipſis verbis continetur, pars ſit ſtipulationis: Quidquid autem palam verbis ſtipulationis ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

expressum non est, id pro omisso habetur; ergo pactum stipulationi adjectum pro omisso habendum est, adeoque nec eâ continetur: Et id quod pacto est comprehensum, neque ex pacto neque ex stipulatu peti potest. Cui difficultati Resp. 1. quamvis pactum nonnisi post responsionem stipulationi adjici posset, quid inde novi? Nonne constat pacta adjecta, contractus perfectos statim subsequi posse; Quod saltem in stipulatione locum etiam habet, & quod pacto stipulationi subjecto placuit, id perinde habendum est, ac si verbis stipulationis expressum, eâque comprehensum esset. Resp. 2. *d. l.* 99. *de V. O.* nihil facere ad quæstionem nostram ibi enim tantum dicitur verba dubia explicari in favorem promissoris, Quemadmodum in *l.* 172. *de R. J.* JCtus *in contrahendâ venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum esse* affirmat. Utrum vero ea expressio in ipsâ stipulatione facienda sit, an verò pet pactum in continenti adjectum fieri possit, lex relinquit in medio. Cæterum tanta intercedit affinitas inter pactum nudum & stipulationem, ut sæpe dubitetur, pactumnè sit an stipulatio. Illud confirmat Ulpianus hoc modo: *Quod fere novissimâ parte pactorum ita solet inseri.* Rogavit Titius, spopondit Mævius; *hæc verba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulationis, Ideoque ex stipulatu nascitur actio: nisi contrarium specialiter adprobetur, quod non animo stipulantium hoc factum est, sed tantum pascicentium. l.* 7. §. 12. *ff. de Pactis.*

Præter hanc rationem quæ ex affinitate peti potest, pacta adjecta stipulationi inesse, & per consequens formare actionem ex stipulatu, tam expressa juris loca Evincunt, ut de eo vix dubitari possit. Ac primò occurrunt verba Pauli in *l.* 4. §. 3. *ff. de Pact. Ex facto etiam consultus, cum convenisset, ut donec usuræ solverentur, sors non peteretur, & stipulatio pure concepta fuisset; conditionem inesse stipulationi, atque si hoc fuisset expressum.* Hic enim habemus stipulationem pure conceptam quæ tamen est conditionalis ipso jure, propter conditionem in continenti appositam. Nec movet, id quod urgent contrariam opinionem sequentes. scil. in *d. l.* 4. non stipulationi pactum, sed pacto stipulationem subjici: sive enim ante, sive post stipulationem apponatur pactum, idem nobis est. Nam ab initio probavimus pacta dici in continenti adjecta, non modo ea quæ immediate post contractum perfectum apponuntur, verum etiam ea quæ contractum antecedunt. Idque probat *l.* 134. §. 1. *de V. O. Plerumquè ea quæ præfationibus convenisse concipiuntur, etiam*

*in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

*in ſtipulationibus repetita creduntur : ſic tamen ut non ex eâ repetitione inutilis efficiatur ſtipulatio.* Præfationes enim hic nihil aliud videntur eſſe, quam ea quæ in principio inter partes acta ſunt & conventa, antequam ad ſolemnium verborum pronunciationem veniant.

Non me latet quoſdam & ſat magni nominis DD. Exiſtimaſſe pacta adjecta ineſſe ſtipulationibus ex parte Rei tantum, non ex parte actoris. Adeoque ſolum exceptionis effectum non actionis producere. Sed reverà multo plus quam exceptionem gignere pactum ſtipulationi adjectum, Indicat, Idem Paulus. In notiſſimâ Lege *lecta ſeu.* 40. *de Reb. Credit,* in verbis, *Et ſi ad exceptionem tantum prodeſſet pactum*, *quamvis ſententia diverſa obtinuerit*, & Idem JCſultus ſuperiore parte ejuſdem legis diſertè ait, *Pacta in continenti facta Stipulationi ineſſe creduntur.* Quod ut facilius concipiatur, totius legis ſenſum exponamus. Caſus d, legis hic eſt. Titius à Sempronio. 10000. mutuo ſumpſerat, huic contractui ſubjecta fuit ſtipulatio quâ ſpopondit Titius ſe ea redditurum eſſe principio anni proximi ſequentis; & ſi præſcriptâ die, ſumma ſupraſcripta, data vel ſoluta non ſit, vel eo nomine non fuerit ſatisfactum, ſpopondit id amplius ſcil. ex morâ uſuras centeſimas. Hoc eſt, in mille aureos. 10. ſingulis ſe menſibus ſoluturum eſſe. Deinde pacto huic ſtipulationi in continenti adjecto inter eos cònvenit, ut Titius ex ſorte menſibus ſingulis, 500. aureos Sempronio heredive ejus refunderet, atque ita fuit dies modusque ſolutionis mutatus. Stipulatione enim, poſtquam conveniſſet omnem ſortem principio anni proximi ſequentis ſolvi, ſtatim pacto in continenti adjecto convenit eam per 20 menſes ſolvi diviſis penſionibus. Cum autem de uſuris nihil convenerit, Quæſtionis eſt, utrum dies uſurarum ſit mutatus, an uſuræ totius ſortis currant ex primo termino ſeu principio anni proximi quo ſumma reddenda erat, an verò penſionis tantum uſuræ ex ſingulis menſibus debeantur? & hoc verius eſſe videtur. Vi enim pacti in continenti adjecti, utriusquè ſtipulationis forma mutata eſt : & ſortis ſolutione per tale pactum diviſâ, conſequitur uſurarum etiam ſolutionem diviſam fuiſſe; & propter hoc uſuræ, ex tempore moræ pro ratâ penſionum tantùm debebuntur : nec defuerunt qui diviſionem illam ſolutionis negarent; quorum ſententiam Paulus, qui ut jam diximus, *d.* legis auctor eſt, impugnat. Adverſarii cujuſdam objectionem refellens. Qui adverſarius videtur Ulpianus fuiſſe. Hunc enim & Paulum Lampridius docet adſeſſores ſplendidiſſimi Papiniani Præfecti Prætorio, fuiſſe



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

in cujus Papiniani Auditorio nostra hæc quæstio agitata est. Collegæ erant, nec mirum si secundum tam generaliter receptum morem, æmuli fuerint ac rivales. Paulus autem in *l.* nostrâ 40. pergit hoc modo. *At ille* (intellige Ulpianum) *putabat ad sortis tantum non verò ad usurarum solutionem pactum hoc pertinere, quod & ad excipiendum, non ad agendum prodesse existimabat, sed sententia diversa obtinuit*, nam quamvis ad exceptionem tantum pactum prodesset, usurarum tamen obligatio ipso jure non committeretur; cum ratio non permittat ut usuræ petantur antequam sors ipsa peti possit: *in morâ enim non est is à quo pecunia propter exceptionem peti non potest.* Pactum igitur hoc de quo agimus, stipulationi adjectum actionem ex stipulatu ita format, ut creditor, qui in solidum alioquin agere ex stipulatione primâ poterat, nonnisi in partem sortis vigesimam, & præteritarum pensionum usuras, agere ipso jure possit. Atque illud pactum prodest & ad excipiendum, & ad agendum. hæc enim locutio, quod Pactum insit contractui, nusquam in jure sic accipitur ut soli Reo prosit ad exceptionem, non etiam Actori ad agendum. Hæc sufficiant de sensu *d. l.* 40. per quam, sententiam nostram valide probari ac confirmari ex suprà dictis satis Evidenter constare videtur: sc. Pacta stipulationi in continenti adjecta illi inesse, & eâ contineri. Nec Imperatorum mens alia fuit in *l.* 27. *Cod. de Pact. Petens ex stipulatione quæ placiti servandi causâ secuta est, seu antecessit pactum, seu post statim*, scil. in continenti nullo intercedente intervallo, *interpositum sit, recte secundum se ferri sententiam postulat.* Nam petentem ex stipulatione quæ pactum antecessit, esse audiendum, nihil aliud significat, nisi quod ex stipulatione cui Pactum adjectum in continenti modum posuit, competat actio ex stipulatu. Omittenda non est. *l.* 20. §. 1. *ff. de Pact. dotal.* ut & *l.* 13. *ff. Commun. Præd.* cum his legibus sententia nostra non parum confirmetur; quid enim aliud ibi significare potest *lex stipulationis*, quam pactum stipulationi adjectum. Secundum Ulpianum ipsum. *Contractus enim legem ex conventione accipiunt. l.* 1. §. 6. *ff. Depositi*; & alibi, *ea pacta insunt, quæ legem contractui dant. d. l.* 7. §. *quinimo. ff. de Pact.* Pactum autem dicitur legem dare contractui veluti emptioni, tunc quando ita additum est, ut Lex sit & quoddam temperamentum emptionis. Inter eos qui contrariam amplectuntur sententiam, permulti jam Enumeratis rationibus, quibus stipulationi omnia Pacta adjecta volumus inesse, non possunt quin cedant; à sententiâ tamen quam defendendam semel susceperunt, rationum inopiâ recedere cum nolint

dici,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

dici, partem tantum concedunt, dicentes, ſi pacta quædam ſtipulationi in continenti adjecta ineſſe poſſint, id ſaltem debere intelligi de Pactis quæ fiunt de re eâdem, quæ in ſtipulationem deducta eſt, & vulgo detrahentia dicuntur: verum id ad pacta adjicientia ſive quæ de aliâ re quam quæ in ſtipulationem fuit deducta, extendendum eſſe fortiter negant. Nos verò non aliter ultimum hoc eorum præſidium propugnabimus quam dicendo JCtum in *d. l.* 40. nimis generaliter loqui quam ut illa diſtinctio ſit facienda; quæ ſi debuiſſet fieri, illud particulatim præcepiſſet. Eodem modo quo JCtus diſtinxit in *d. l.* 72. agens de Pactis ex intervallo contractui bonæ fidei, adjici ſolitis.

Supereſt ut videamus num quid requiratur amplius ut pacta adjecta effectum ſortiantur & ſine dubio neceſſe eſt illa pacta contra bonos mores legeſvè non eſſe facta: quæcunque enim Pacta turpem cauſam continent, obſervanda non ſunt. *l.* 27. §. 4. *de Pact.* Quod & ſpecialiter conſtituit Imperator Antoninus, his verbis, *Pacta quæ contra leges conſtitutiones vel contrà bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt l. 6. Cod. Pact.* Quamobrem ſi pactum ſuper maleficio factum ſit. Veluti ſi paciſcatur quis ne maleficium aliquod fiat, illud nullam producet obligationem. *l.* 7. §. 3. *ff. de Pact.* hinc eſt quod rei turpis nullum ſit mandatum. *l.* 6. §. 3. *l.* 22. §. 6. *ff. Mandati.* Eodem modo quo rerum inhoneſtarum nulla eſt ſocietas: adeoque ſocius res quas ex cauſis prohibitis vel aliquo maleficio acquiſiverit, ut conferat cogi non poteſt. Delictorum enim turpis ac fœda communio eſt. *l.* 57. 52. §. 17. *l.* 53. *ff. Pro ſocio.* Eâdem ratione generaliter receptum eſt conditiones turpes ſive legatis, ſive inſtitutionibus adjectas, impoſſibilibus adnumerari. *l.* 137. §. 6. *de V. O.* nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim contrà bonos mores fiunt: nec facere nos poſſe credendum eſt. *l.* 15. *de Cond. inſtit.* Requiritur, ſecundò ne Pacta adjiciantur, quæ ſint contra juris civilis regulas, talia enim rata non habentur. *l.* 28. *ff. de Pact.* Et quicquid fit contra leges, eſt ipſo jure nullum *l.* 12. *Cod. de teſtam. l.* 4. *Cod de Excuſat. tut. l.* 5. *Cod. de Legib.* etiamſi jusjurandum acceſſerit; quippe quod non poſſit ſupplere invaliditatem negotii quod ipſo jure nullum eſt. Etenim ne jusjurandum quibuslibet promiſſionibus adhibitum Evileſceret, & nimis leviter reverentia Deo debita violaretur; Ideò conſtitutum jure Romanorum fuit, ut jusjurandum non obligaret magis, quam nudum pactum. *l.* 7. §. 16. *de Pact. l.* 112. §. *ult. de Legat.* 1. *d. l.* 5. *Cod. de Legib.*

Denique ultimum hoc in pactis adjectis requiritur, ut non adversentur naturæ contractuum quibus accedunt. Pacta igitur naturam contractuum quibus adjiciuntur Evertentia, adeò ipsis non insunt, ut nec actionem forment, nec exceptionem quidem producant. Tale est pactum societati de non dividendo adjectum. *l.* 14. *Pro socio.* cum nulla sit societatis in æternum coitio. *l.* 70. *eod.* Idem juris est in pacto leoninæ societatis, scilicet, quo alter lucrum tantum, alter damnum sentiret. *l.* 29. §. 2. *Pro socio.* nam præterquam quod ratio æquitatis neminem patiatur cum alterius jacturâ locupletari, cum in societate lucro maximè & quæstui studeatur, Iniquissimum genus esset societatis, ex quâ quis damnum, non etiam lucrum expectet. Non absimili ratione, Precario, hoc pactum ut dans pro lubitu id revocare non possit *l.* 12. *ff. de Precario.* Et mutuo, ut plus reddatur quam traditum est, *l.* 11. §. 1. *de Reb. credit.* adjectum, adeò non valet, ut ne minimum quidem effectum producat. Fieri tamen potest ut per Pacta adjecta contractûs natura leviter alteretur aut mutetur, vel ut contractus reformetur in aliud genus negotii. Ubi Pacto dicitur alterari contractus, non totam quidem formam suam amittit, & alienam induit, sed ab indole tamen suâ nonnihil abest. E. G. Ex deposito gratuito potest fieri mercenarium. Ut si argentum à te in depositum accipiens pacifcar, ut quoad omne argentum reddatur, in singulos menses, singulasque libras, quaternos tibi obolos usurarum nomine subministrem; Quamvis hoc modo videatur fieri mutuum, non ideo tamen mutuum fit, sed contractus retinet nomen & formam depositi, tantum quod modus ejus excedatur, ut ait Papinianus in *l.* 24. *ff. Depositi, propter usurarum incrementum depositi actionem locum habere* : & quamvis *contrà naturam depositi sit usuras temporis, ante moram desiderare ab eo qui beneficium in suscipiendâ pecunia dedit* ; *si tamen ab initio de usuris præstandis convenit, legem contractus esse servandam* : Nec non & Paulus *illud pactum depositæ pecuniæ modum excedere respondet*, quo tamen non efficitur ut res in alium contractum abeat ; *& ideo secundum conventionem, usuræ quoque actione depositi peti possunt l.* 26. §. 1. *in fin, eod.*

Contractus autem naturam mutari dicimus. Quando E. G. mandato aut commodato quæ suâ naturâ sunt gratuita, adjicitur Pactum de certâ mercede, tunc enim locatio fiet. §. 2. *instit. Quib. mod. re contr. oblig.* §. *ult. instit. Mandati.* Commodare enim cum officii sit & humanitatis, *l.* 17. §. 3. *Commodati*, ità mercede interveniente, tollitur beneficium & simul gratia, quæ sunt vincula amicitiæ. *Similiter* mandatum ori-

originem ex officio atque amicitiâ trahit, quibus contraria est merces. *l.* 1. §. 4. *ff. Mand.* Quamobrem si pecuniaria conventio accesserit, mandatum in diversam speciem contractûs abibit, & incipiet esse locatio. Modo factum sit hujusmodi quod locari soleat. Qualia sunt quæ mercede quæ valori facti respondeat, æstimantur: ut operæ mechanicæ. Si merces valori facti minus respondeat, tunc incidit in contractum innominatum. *l.* 22. *de Præscript. verb.* Huc etiam pertinere videtur quod natura emptionis sit ut pretium & merx inter se commutentur; Idem juris est in locatione conductione, ut merces & usus unum alterius vice fungatur; si tamen convenerit ne pretium mercesvè detur, donatio erit, non emptio, nec locatio. *l.* 38. *de Contr. empt. l.* 46. *Locat. cond.*

Contractus deniquè natura dicitur reformari in aliud genus negotii, si quis pecuniam numeratam ità deposuisset, ut neque clusam neque obsignatam traderet, sed adnumeraret; nihil aliud debebit is apud quem res deposita est, quam ut tantumdem pecuniæ solvat, & res in creditum transibit: Idem accidit in locatione, quando res ita locatur ut non eadem, sed ejusdem generis reddatur. Veluti cum quantitas argenti recens cocti fabro data est, ut inde vasa fierent. Ex hac Locatione Dominium transfertur, & fit mutuum. *l.* 31. *ff. Locat. cond.* Similia exempla videre est in *l.* 6. §. 1. *ff. de Act. empt.* & *l.* 80. *in fin. ff. de Cont. empt.* Superest ut pactorum adjectorum effectus quinam sint, diligenter investigemus.

Vidimus suprà quænam pacta dicantur contractibus inesse, & per consequens actioni & exceptioni faciant locum; ostendimusque quænam illis non insint adeoque exceptionem tantum producant. Quæ igitur contractibus bonæ fidei vel stipulationi pacta in continenti adjecta sunt, cum iis insint, sive partem eorum constituant, exinde sequitur quod eandem quæ ex ipsis oritur contractibus, actionem forment, extendantque ad id quod pactis illis adjectis continetur, non autem novam pariant actionem: falluntur enim graviter qui putant ex pacto ipso actionem dari, quod falsum est; nam pactum non qua pactum est, vim habet obligationis, sed qua pars quædam est contractus cui statim adjectum est; consequens igitur est, ut eadem, sit, partis quæ totius, eadem accessionis, quæ ejus quod præcipuum est, actio. Nec video quid contrariam sententiam juvet responsum Labeonis in *l.* 50. *de Contr. empt. in d. l.* proponitur talis casus, vendita fuit Bibliotheca si decuriones campani locum emptori vendidissent in quo eam reponeret, si per campanos non stet quo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

minus Impleatur conditio, actio præscriptis verbus venditori contrà emptorem competit ad id ut conditionem impleat, aut præstet id quod venditoris interest conditionem non fuisse impletam. Sed Ulpianus ait etiam ex vendito agi posse, scilicet ad petendum pretium, tanquam non admissà ullà conditione, cum per emptorem stet quominus conditio impleatur: Emptore enim semel recusante adimplere conditionem quæ ab eo solo pendet, Electio est venditoris utrum actione præscriptis verbis interesse persequi velit, an verò conditioni renuncians, solum pretium quod solutum nondum fuerit actione ex vendito petere. JCti autem duplicem hic dant actionem quia sæpè dubitant quinam sit contractus: ut in *l. ult. de Cond. caus. dat.* non vereamur posteà affirmare novam ex pacto adjecto non pari actionem, sed pactum ita actioni ex principali contractu competenti modum ponere, ut vel in plus vel minus detur, quam si pactum adjectum non fuisset. Exemplum præbet Ulpianus in *l. 69. ff. Pro Socio. Cum pacto societati adjecto aliquid convenisset, actioni pro socio locus est.* Item si pars dimidia fundi vendatur & Pacto Convenerit ut emptor partem alteram, cujus dominium venditor retinebat, conductam. 10. annis certâ in annos singulos pecuniâ haberet, ex empto agi posse affirmat JCtus in *l. 79. de Cont. empt.* Innumeros alios textus hoc confirmantes, ne tædio id foret, studio prætermittimus.

Non desunt tamen qui dissentiant, existimantes ex pacto adjecto non actionem ex principali contractu competere, sed actionem præscriptis verbis; sic dictam ex eo quod *præscriptis verbis rem gestam demonstret* eâque demonstratione vice nominis quo caret, utatur. *l. 6. Cod. de Transact.* quam ob causam, *in factum* etiam appellatur: hâc vel simili utuntur ratione, scilicet actioni præscriptis verbis non esse locum, nisi deficientibus omnibus nominatis actionibus. *l. 1. 2. & 3. ff. de Præscr. verb.* Pactum autem de retrovendendo producere actionem præscriptis verbis asserunt, & exinde actionem ex principali contractu deficere, nullumque à pacto accipere effectum; Sed novam in factum produci actionem. Nos verò ex locis suprà allatis probavimus, occasione pacti adjecti actionem ex principali contractu formatam competere, eandem igitur rationem retorquendo dicamus hic cessare actionem præscriptis verbis, cum nullus huic locus detur, nisi ubi cæteræ actiones deficiunt. nec dici potest ullam actionem ex ipsis pactis & solis nasci, ut suprà in transitu diximus, cum pacta adhuc nuda & sola, actionem parere non valeant, excepto casu quo in contractum innominatum transierunt. Quod enim Imp.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

in *l.* 13. *Cod. de Pact.* ait, *ita demum ex pacto competit actio, si in continenti fiat*, id ita demum interpretamur, *ex Pacto* id est propter pactum vel secundum illud actionem dari. Videamus tamen quid respondendum sit ad *l.* 2. *Cod. de Pact. int. empt.* quam dissentientes afferunt: in eâ, fundus proponitur hâc lege venditus, ut venditori quandocunque pretium referenti restitueretur. Et ibi Alexander. Imp. ut fides contractûs servetur, vult, actionem dari præscriptis verbis, vel ex vendito, id est, ex contractu principali. Jam autem dubitari non potest quin hæc ultima competat. quæramus nunc cur accedat etiam nova illa actio præscr. verb. & responderi facile potest, hoc esse speciale in casu. *d. l.* 2. Pactum enim de retrovendendo cum ad rescissionem contractûs cui adjectum est pertineat, ratio fuit dubitandi num pars ejus esset. Quare Proculus in simili prorsus specie, actionis tantum præscriptis verbis meminit. *Si vir uxori suæ fundos vendidit, & in venditione comprehensum est, convenisse inter eos, si ea nupta ei esse desiisset, ut eos fundos, si ipse vellet, eodem pretio mulier transcriberet Viro: in factum existimo judicium esse reddendum. l. 12. ff. de Præscript. verb.* Hinc existimavere veteres, tali pacto actionem ex principali contractu non extendi ad id quod illo pacto continetur, cum actio quæ ex contractu oritur, non videretur posse institui ad eundem rescindendum: Nec probabile esset actionem ad implementum contractûs natam, ad retractandum hunc aliumque celebrandum dari. Natura tamen bonæ fidei negotii requirebat ut pactum de retrovendendo emptioni in continenti adjectum suam vim haberet; hanc ob causam receptum est ut in causâ dubiâ, nempe ubi agitur de contractu per pactum adjectum rescindendo, cum actione ex principali contractu, actio præscriptis verbis conjungeretur subsidii causâ. & quamvis jure olim constitutum fuerit, ut simili casu, actio tantum præsc. verb. competeret; Posteà tamen legum authores constituerunt, ut remanente adhuc eâ actione, ex vendito etiam agi posset non ut bis idem petatur, sed ut penes paciscentem Electio sit utrâ actione velit in causâ illâ dubiâ uti. Vel si eligere nolit, dubitetve de remedio sibi competente, ut Judex ipsi quo remedio ex duobus competentibus utatur, præscribat. Exemplo rem illustremus. Post emptionis contractum celebratum, pacto in continenti adjecto convenit ut eveniente aliquo casu, ab emptione intrà certum tempus discederemus. Occasione hujus pacti competunt duæ actiones; Actio venditi, & actio præscriptis verbis: ut si illa videatur minus idonea ad emptionem rescindendam, hâc actor uti possit. & ea videtur



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

detur fuiſſe mens Imperatoris in. *d. l. 2. Cod. de Pact. int. empt. & vendit.* Ubi non diſtinguit an pactum emptioni, an traditioni ſit adjectum: quanquam nonnulli hanc, ſed inutilem admittunt diſtinctionem.

Nec facilius admittenda, imò rejicienda maximè videtur eorum ſententia qui actionem præſcriptis verbis in caſu. *d. l. 2.* minime competere. Et voculam *vel* in reſcripto illo Alexandri, correctoriam eſſe exiſtimant: Quaſi verba Imperatoris ſignificarent non duas actiones dari, quarum alterutrâ venditor pro arbitrio uti poſſet, ſed poſteriorem tantum ex vendito actionem competere. hanc enim conjecturam penitus Evertunt verba Pauli in *l. 6. ff. de Reſcind. vendit.* quando in ſimili caſu ait *ex empto actio eſt, aut in factum actio datur.* neque magis in *d. l. 2. Cod.* quam in hâc *l. 6.* particula *vel* videtur eſſe correctoria. Novum autem apud JCtos noſtros non fuit in tali cauſâ dubiâ duplicem actionem dictare, imo fuit uſitatiſſimum, ut infinitis textibus apparet. Et hæc eſt ratio exceptionis à regulâ de cumulatione actionum. Cumulatio enim cum Jure Civili ſit prohibita, ne ſcilicet modus litium multiplicatus ſummam atque inextricabilem faciat difficultatem; *l. 6. de Except. rei judic.* Illud tamen limitatur in caſu quo dubium eſt quânam actione ex duabus pluribuſve ſimul competentibus experiundum ſit. Nam E. G. nonnunquam incertum eſt utrum quis pro legato, an pro herede vel pro poſſeſſore poſſideat. In tali caſu dubio Arrianus ſcribit petitionem hereditatis inſtituendam & interdictum quod legatorum reddendum eſſe. *Ita enim ſolemus facere*, inquit Ulpianus, *quoties incertum eſt, quæ actio potius teneat. Nam duas dictamus, proteſtati ex alterâ nos velle conſequi, quod nos contingit. l. 1. §. 4. ff. Quod legat.* Eandem ob cauſam actio præſcriptis verbis non ſolet cum actione nominatâ concurrere, in caſu tamen dubio cum eâ concurrit quoties incertum eſt quænam actio competat, ſi actor duas actiones, aliam ex contractu principali competentem, aliam præſcr. verb. extraordinariam in ſubſidium ex æquo & bono variis accommodatam negotiis, proponat, modo ſe alterutrâ jus ſuum perſequi velle ſit proteſtatus, unde ſi quid precariò datum ſit, non ſolum interdicto uti poſſumus, ſed & incerti condictione, id eſt, præſcriptis verbis. *l. 19. §. 2. l. 2. §. 2. l. 14. ff. de Precario.* Præterea non raro contingit ut ex cauſâ emptionis, locationis, mandati &c. actio ex principali contractu, & condictio certi ſimul competant. *l. 28. §. 4. ff. de Jurejur.* Similiter actio locati cum condictione ſine cauſâ. *l. 2. ff. de Condict. ſin. cauſ.* eadem condictio cum actione empti concurrit. *l. 11. §. 6. de Act.*

*empt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

*empt.* Cæterum actiones empti & locati ſunt bonæ fidei. §. 28. *inſtit. de Act.* nulla autem condictio propriè & in ſpecie ita dicta, ſive actio aliud nomen non habens, adnumeratur bonæ fidei judiciis: exinde evertitur eorum ſententia qui exiſtimant nullo unquam caſu, nec in cauſis quidem quas dubias vocamus, actionem ex contractu veluti ex vendito, concurrere cum actione in factum. Negantes ex eodem negotio actionem ſtricti juris, unà cum aliâ actione bonæ fidei dari poſſe: hoc enim quo minus fiat nihil eſſe impedimento, ex dictis ſatis conſtat. Nec ſine reſponſione prætermittenda eſt. *l. 4. ff. de Leg. commiſſor.* Quâ lege ex pacto adjecto ſolam ex principali contractu actionem competere, multi probare volunt. Ibi ex pacto ad contractûs principalis, cui adjectum erat, diſſolutionem tendente, actionem ex principali contractu nempe ex vendito competere refert Ulpianus. Hancque jam deciſam eſſe quæſtionem declarat ex reſcripto Imperat. Antonini & D. Severi, cujus reſcripti mentio fit in. *l. 16. ff. de Addict. in diem.* Jam vero ſuprà oſtendimus ex *l. 12. ff. de Præſcript. verb.* apud veteres olim admiſſam tantum fuiſſe actionem præſcriptis verbis in caſu quo pactum ad principalis contractûs diſſolutionem ſpectans adjectum eſt, ſed poſteà introduxiſſe Imperatores ut ex principali etiam contractu actio competeret; non excluſâ priore in factum quæ competebat. & hæc eſt illa quæſtio quam ab Antonino & Severo deciſam Juriſconſultus refert. In dubium enim non revocaſſe videntur. Impp. utrum in caſibus illis actio ex principali contractu nata, ſola poſſet inſtitui, ſed utrum certo jam jure admiſſâ actione præſcriptis verbis, actio ex contractu per pactum adjectum formata, etiam competeret, & ambæ ſimul concurrerent. Quæ fuit ſententia Alexandri Imp. in *d. l. 2. Cod. de Pact. int. empt.* & Conſiliarii ejus Pauli in *d. l. 6. ff. de Reſcind. vendit.* cum illi multo poſt redditum Severi & Antonini reſcriptum, in ſimilibus caſibus utramque concedere actionem non dubitaverint.

# COROLLARIA.

I.

*DAre bonorum possessionem & restituere in integrum, sunt actus mixti Imperii.*

II.

*Creditori invito particularis solutio obtrudi non potest.*

III.

*Condictio indebiti competit, non modo ad repetendum id quod errore facti, sed & quod errore juris solutum est.*

IV.

*Jus accrescendi non transit in emptorem hereditatis, sed ad venditorem, seu heredem pertinet.*

V.

*Liberi adulterini & ex incestu quæsiti, à parentibus suis alendi esse videntur.*

VI.

*Jus accrescendi inter coheredes à testatore prohiberi cum effectu nequit.*

VII.

*Inter legatarios verbis tantum conjunctos, jus accrescendi locum non habet.*

VIII.

*Thesaurus magicis artibus in fundo alieno, ignorante vel invito Domino inventus, ne pro parte quidem fisco cedit, sed ad fundi dominum totus debet pertinere.*

# FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 39